Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

Ascendit ergo moyses de campestribus
moab super montem nebo in verticem
phasga contra iericho. Ostenditque ei dominus
omnem terram galaad usque dan et universum
neptalim terramque ephraim et manasse
et omnem terram iuda usque ad mare novissimum
et australem plagam et latitudinem
campi iericho civitatis palmarum usque
segor. Dixitque dominus ad eum. Hec est terra pro qua
iuravi abraham ysaac et iacob dicens.
semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis
tuis et non transibis ad illam. Mortuusque
est ibi moyses servus domini in terra moab
iubente domino et sepelivit eum in valle terre
moab contra phegor. Et non cognovit homo sepulchrum
eius usque in presentem diem. Moyses
centum et xx annorum erat quando mortuus est.
Non caligavit oculus eius nec dentes illius
moti sunt. Fleveruntque eum filii israel in campestribus
moab xxx diebus et completi sunt dies
planctus lugentium moysen. Iosue vero
filius nun repletus est spiritu sapientie quia
moyses posuit super eum manus suas. Et
obedierunt ei filii israel feceruntque sicut precepit
dominus moysi. Et non surrexit propheta ultra in israel
sicut moyses quem nosset dominus facie ad faciem
in omnibus signis atque portentis que misit
per eum ut faceret in terra egypti pharaoni
et omnibus servis eius universeque terre illius
et cunctam manum robustam magnaque mi
rabilia que fecit moyses coram universo israel.

Incipit prologus in librum Iosue.

Tandem fini
ta pentateu
co moysi ve
lut grandi feno
re liberati ad
ihesum filium
nave manum mittimus quem hebrei iosue
bennun id est iosue filium nun vocant
et ad iudicum librum quem sophtim appel
lant, ad ruth quoque et hester quos hisdem
nominibus efferunt. Monemusque lectorem
ut silvam hebraicorum nominum et distinctiones
per membra divisas diligens scriptor conser
vet ne et noster labor et illius studium pereat.
Et ut in primis quod sepe testatus sum sciat me
non in reprehensionem veterum nova cudere
sicut amici mei criminantur sed pro virili parte
offerre lingue mee hominibus quos tamen
nostra delectant ut pro grecorum exaplis
que et sumptu et labore maximo indigent
editionem nostram habeant et sicubi in anti
quorum voluminum lectione dubitarint
hec illis conferentes inveniant quod requirunt
maxime cum apud latinos tot sint ex
emplaria quot codices et unusquisque pro ar
bitrio suo vel addiderit vel subtraxerit quod ei
visum est et utique non possit verum esse quod disso
nat. Unde cesset arcuato vulnere contra nos in
surgere scorpius et sanctum opus venenata
carpere lingua desistat vel suscipiens si
placet vel contempnens si displicet. Memi
neritque illorum versuum. Os tuum habunda
vit malitia et lingua tua concinnabat
dolos. Sedens adversus fratrem tuum loqueba
ris et adversus filium matris tue pone
bas scandalum. Hec fecisti et tacui.
Existimasti inique quod ero tui similis. Argu
am te et statuam contra faciem tuam. Que enim
audientis vel legentis utilitas est nos
laborando sudare et alios detrahendo la
borare. Dolere iudeos quod calumpniandi
eis et irridendi christianos sit ablata
occasio et ecclesie homines id despicere immo
lacerare unde adversarii torquentur.
Quod si veteris eis tantum interpretatio placet